

Quod vero ut felicius procedat negotium: Adesto Sancte Spiritus, paraclesin tuam expectantibus illabere cœlitus! igne tuo tenebricosæ rationi lucem infunde, fuscita animum nostrum, ut dignus sit divinæ tuæ flammæ concipiendæ fomes; Sequemur lubentissime, qua faces tuæ fulgidissimæ viam nobis monstraverint; sanctissimum tuum ignem devotis cordibus reverenter suscepturi.

בסעדין דשמיני

CUM imminentem præcedens Lucifer Solem Baptista, argenteas Jordanis aquas, tenebrisque circumfusam Judæam luce nova illustraret, proprioremque optatissimi Solis nunciaret adventum; en ipse clarissimus Vitæ Sol, ἀνατολή ἐξ ὕψους, in quo salus recumbebat totius orbis, e Nazareth, ubi eatenus veluti sub undis delituerat, nitidissimum caput paululum effert, Jordanem venit, ibidemque fulgidissimis splendere incipit radiis. Ecqui enim splendidiore esse possunt radii iis; quæ ibi conspiciuntur, miraculis? Mergitur undis Æternum Patris Verbum, ut gurgitum tractus cunctorumque fontium venas suo corpore in salutaris lavacri sacramentum dediceret, *ut sua purificatione undas purificaret*, ceu eximie loquitur D. Nazianzenus *orat. 34.* Obserati hætenus cœli fores panduntur, non quod ipsi cœlestes diffinderentur orbes, sed quod in aëre atque nubibus hujusmodi appareret hiatus, quemadmodum in vulgaribus fieri assolet fulgetris, ut ipsum aperiari cœlum ac findi videatur, Statius *l. 1. Thebaid. Abrupta tremiscunt Fulgura, & attritus subita face rumpitur aer* (conf. Svarez. *3. p. 9. 39. art 5. & Aristot. in Meteoris.*) COLUMBA admirando volatu in verticem Christi cœlitus delabitur:
Vox